

43. Sequitur, ut dicamus, quando *invasorem* necare liceat. Et multi quidem vel fingi, vel dari possunt casus, quibus hoc non licitum modò, sed & è re Reipublicæ futurum sit. Potiores adducemus. Occupabimur autem nunc tantùm circa eos, *quorum imperium passivum vel invaditur, vel occupatum est*. Nam de iis, quorum activum imperium periclitatur, tam ex antea dictis, quàm dicendis facile est judicare.

44. Licet igitur subditis (b) *raptorem* ejusmodi occidere, quamdiu durat injusta possidendi causa, & jus belli adhuc cum eo salvum est. Hostis enim à quolibet, etiam privato, jure gentium suffragante, merito interficitur.

45. Communiter hanc in rem affertur illud Tertulliani: *In reos Majestatis & publicos hostes omnis homo miles est*. Quamquam hoc sano sensu accipiendum. Aliàs enim etiam extraneus, v. g. Sempronius cujus nihil interest alienum invadi imperium, *tyrannum sine titulo* interficere jure posset. Quod simpliciter asserendum esse ambigo. Quid? quòd, dicto Tertulliani ita nudè accepto, hoc etiam sequeretur absurdum, licere subdito Principem suum alieni raptorem imperii necare.

46. Itidem concessum est, tyrannicidium (c), si disertata auctoritas expressumq; mandatum accedat veri Regis, aut eorum, ad quem, quosvè summum imperium spectat. Limitatio, quam hìc adducit Dn. Bœclerus (d), de subditis veri Regis exulis, qui interim fidem & obsequium tyranno jurarunt, ex antea dictis nobis intelligitur tacentibus.

47. Ejusmodi ferè mandatum accessisse videtur olim in Republicâ Græcorum & Romanorum, ubi ante invasionem lex publica extitit, quæ cuiq; potestatem fecit, tyrannum vel in possessione invasi constitutum imperii, vel in invasionis actu & præparatoriis deprehensum, occidendi, ac hujusmodi tyrannicidis præmia & honores decrevit maximos (e). Quò etiam referenda encomia tyrannicidarum haud vulgaris, & adhortationes ad invasorum cædem, quæ apud Ciceronem, aliosq; autores passim leguntur.

B 2

48. Jam

(b) *Quem loquendi modum suggillat Hesenth. l. c. p. 73. dicens; tyrannum sine titulo non habere subditos. Quasi, cum dicimus, subditis licere esse tyrannicidis, intelligeremus tyranni subditos, & non potius ejus, vel eorum, quorum imperium activum invasum est.* (c) v. Molin. l. c. p. 540. Grot. p. 91. n. 18. (d) ad cit. Grot. loc. (e) Tholozan. de Rep. 12, 13. n. 3. & l. c. p. 904, n. 5. Cic. 3. off. p. 411, Grot. p. 91. n. 17.